


16



Old hand



*294 2
gr*

A
A
A
A
A
A
A
A
A
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
H
H
H
H
H
H



M E D I C A T I O
 I V V E N I S
 M A N I A C I :

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRAESIDIO

V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I,

Reip. Ultrajectinae Poliatri, & Medicinae

ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicae disquisitioni exhibet

J U S T U S à W Y C K Rheno-Trajectinus,

Ad diem 10 Decembris hora 9 matutina.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,
 Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,
 ANNO M. DC. XLV.

Consultissimo, Spectatissimoque Viro

D. CORNELIO vander EEM,
I. V. D. Curiae Ultrajectinae Advocato
doctissimo, disertissimo, amico meo.

UT ET

Clarissimis, Eruditissimis Viris

D. IACOBO RAVENSBERG,
L. A. M. & Mathesios in Incluta Trajecti-
na Academia Professore subtilissimo, de stu-
diis meis optime merito & merenti.

D. ABRAHAMO BOCSTADIO,
Literarum & Historiarum peritissimo, quon-
dam præceptori & promotori plurimum
de me studiisque meis merito, honorando,
colendo.

In Gratitude & benevolentiae symbolum

Hanc Medicationem

Offero & inscribo

JUSTUS à WYCK.

M E D I C A T I O
 I U V E N I S
 M A N I A C I.

I.

Iuvenis robustus, viginti quatuor annos natus, biliosus, & potalis largioribus quotidie indulgens, nuper magna contumelia fuit affectus, quæ ipsum, ira valde perturbatum, diu de vindicta magnopere habuit sollicitum. Post aliquot dies cœpit ferocior videri, & cum quovis de rebus leviculis rixari, noctes pæne totas insomnes ducere, & miris imaginationibus infestari. Cumque malum deinde ingravesceret, diluculo quodam evigilans, è lecto nudus exsiliit, indusium & lodices diffregit, clamoribus furiosis totam domum replevit, & in occurrentes domesticos tantum impetum fecit, ut uni, renitentibus aliis, gulam manibus fortissime comprehensam, pene totam confregit. A pluribus itaque viris robustis, in auxilium vocatis, magna cum difficultate, tandem fuit comprehensus, & vinculis in lecto detentus: ubi jam per biduum clamans, absurda loquens, cantillans, ridens, dejerans, torvum videns, perpetuo vigilat. Nulla ipsi adest febris. Cibos oblatos satis avide ingerit. Potum ore haustum, in adstantium vultum, si non adtendant, labris in fistulæ modum arētatis, impudenter ejaculatur. Sæpissime nudo jacet corpore, nec ullum frigus sentit, nec ab illo læditur. Nullis blandimentis, nullis oburgationibus, nec ullis admonitionibus ejus ferocia frænari vel leniri potest. Habitu corporis est eufarco.

II.

Cerebrum in hoc juvene graviter esse affectum, probat ferox illud delirium. Cordis & totius corporis affecti argumentum est iracundia & frigoris supra naturalem modum tolerantia.

K 2

Morbis

III.

Morbus qui ipsum vexat, est *Mania* sive peculiaris quædam intemperies cerebri & spirituum biliola & fervens, quæ à febrî immunis, imaginationem & iudicium ejus, cum excandescencia, in quoslibet ferociente, depravat.

IV.

Causa, quæ huic affectui primo originem præbuit, est magna illa contumelia, quæ juvenis iste affectus, intantum excanduit, ut noctes diesque de vindicta cogitans, & omnem pæne somnum sibi adimens, spiritibus animalibus, in ventriculis cerebri existentibus, qui, ex nativo ejus temperamento & præcedente ebriositate, ad hanc pravitatem jam ante erant proclives, per vehementiores illas & iracundas cogitationes intemperiem nimis fervidam, & mentem peculiariter perturbantem conciliaverit; quæ deinde cerebro communicata, & ab illo sanguini impressa, & inde ad Cor delata totum corpus hac pravæ intemperiei labe infecit; eaque jam cum sanguine à membris ad cor, & à corde in cerebrum perpetuo rediens, ibique mentem suo peculiari fervore & pravitate exagitans, est perpetua horum furiosorum *symptomatum causa*.

V.

Primo enim fervidi isti spiritus, vehementiori suo motu cerebri ventriculos distendentes & nervorum principia aperientes, perpetuas ipsi faciunt vigiliæ. Iique porro, in sensorium commune vehementius & inordinatius impingentes, turbant ferocibus, truculentis, violentissimamque vindictam spirantibus cogitationibus ejus mentem. Ut enim blandus & lenis bene temperatorum spirituum motus blandas, jucundas, lenes & prudentes, ex eo quod ita à naturâ comparati simus; solet excitare cogitationes; ita fervidi, pungentes & maligni spiritus, data occasione vehementius moti, solent hominem, haud aliter quam si stimulus esset concitatus, facere ferocem, iracundum, temerarium, impudentem, & de vi inferenda cogitantem. Huc accedit, quod
noster

noſter æger, per diuturnas illas & intentiores de injuria illa-
 ra & vindicta ſumenda ſæpius reiteratas cogitationes, ea-
 rum imagines cerebro tam copioſas & firmas impreſſerit,
 ut ex fere perpetuo ejus animo turbato evidentiffime obver-
 ſantes, cum ad omnem violentam ferociam impulerint.
 Atque hinc factum, ut ille è turbulento inſomnio evigi-
 lans, quo ille forte de adverſario ſuo ſomniabat, in fu-
 rorem fuerit actus, & jam pro variis imaginibus ani-
 mo ejus magnâ evidentiâ oblatiſ, ita ferociter inverecun-
 de & impudenter, modo cum clamoribus, modo cum riſu,
 modo cum dejectionibus, modo cum turpibus dictariis, deli-
 ret. Et quoniam non tantum fervidiſſimos, ſed etiam co-
 pioſiſſimos habet ſpiritus animales, quos vehementiſſime
 in muſculos pro arbitrio determinat, idcirco corpus ejus
 veſtibus denudatum ab aëris frigore non læditur, viresque
 ejus, in rebus apprehendendis, depellendis & retinendis,
 plurium hominum adverſus ipſum ſimul argentiſ, robur
 longe ſuperantes, jam nonnullis ab ipſo comprehenſis per-
 niciem pæne attulerunt. Quia vero malignitas illa, quæ in
 febribus ſanguinem & habitum corporis nutritioni ineptio-
 rem reddit, à fervidiſſimo ejus abeſt ſanguine, ideoque
 hic ejus fervor, ab omni feбри hætenus liber, ipſum bene
 nutiri patitur. Quia denique hæc cerebri & ſpirituſ in-
 temperies ipſi tam evidentes excitat imaginationes, & ſi-
 mul judiciſ ejus pervertit, idcirco deliria ſua rationi con-
 ſentanea, aliorum vero admonitiones & objurgationes contem-
 nendas exiſtimat.

VI.

Quod autem ad hunc furorem excitandum peculiaris cerebri
 intemperies & ſpirituſ fervor requiratur, manifeſte ex feбри-
 bus ardentibus & vehementiſſimis corporis exercitiis, ſæpiſſime
 nullum furorem excitantibus, patere videtur.

VII.

Et quamvis hæc intemperies peculiaris nondum ſpecifi-

K 3

ce ſit.

ce fit nota, hinc tamen nulla in furore ex ea explicando oritur difficultas. Nam etsi ejus natura exquisitè & perfectè esset cognita; hinc tamen nihil aliud innotesceret, quam quod talis specifica cerebri intemperies talem mentis turbandæ habeat potestatem: idque non aliam ob causam, quam quod ita à natura facti simus. Atque hoc ex aciculis cutim pungentibus, quæ dolorem, & digitis, plantam pedis fricantibus, qui titillationem excitant, manifestum evadit. Quamvis enim istorum figura & temperies hic satis sint notæ; cur tamen hi in illis partibus titillationem, istæ in aliis dolorem excitent, nulla alia ratio, quam nos ita à natura esse factos, ulterius dari potest.

VIII.

Morbus hic ubi temporis longitudine altas radices egit nulla ratione curari potest, hominemque sæpe, inter fœtidissimas sordes & summas miseras, ad extremam senectutem deducit, ideoque curatio, licet ob gravitatem morbi & inobedientiam ægri valde sit difficilis, haud perfunctorie erit tentanda.

IX.

Causa vero, ob quam maniaci inter maximos & miserimos diætæ etiores tamdiu vivere queant, consistit in ipsorum corporis temperamento, quod quamvis rectis mentis actionibus adverteatur, nutritioni tamen corporis est convenientissimum.

X.

Curatio consistit in pravi sanguinis evacuatione & intemperiei, tum cerebri, tum reliqui corporis correctione.

Primo itaque exhibeatur cum potu vel jusculo hic pulvis insipidus:

R. rad. mechoacannæ scrup. ij. s.

scamoni gr. xv. F. pulvis subtilis.

Postridie educatur sanguis per phlebotomiam è brachio dextro ad lib. i. eaque postea sæpius in variis corporis partibus, pro ratione virium, est repetenda. Docet enim experientia venæ sectiones largas & frequentes plurimum auxilii hic præbere.

Vespere ad somnum conciliandum exhibeatur ipsi in potu
laudani

laudani opiatu grana v. cum pauxillo syr. de papavere dissoluta:
vel amigdalatum cum syrupo papaveris ad lib. s: Vel talis præ-
scribatur haustus somniferus:

R. syr. violac. papaverini, diacodii an. vnc. s.
aq. stillat. lactuce vnc. iij. m. s. haustus.

Postea præscribatur ipsi hoc medicamentum alterans & pur-
gans:

R. rad. buglossi vnc. j. s. ellebori nigri drag. iij.

Polypod. quere. drag. vi.

Fol. endiviæ, cichorij, fumarie,

epithymi an. m. j.

Flor. borrag. bugloss. violar. an. p. iij.

sem. melonum, cucumeris, cucurbita an. drag. iij.!

liquiritia rasa dragm. ij.

Tamarindorum vnc. j.

Decoquantur in aq. commun. ad lib. j. s. addendo.

sub finem decoctionis fol. senna vnc. j. s.

cinnamomi scrup. ij.

Colat. adde syr. rosati sol. violacei au. vnc. j.

F. Apozema, de quo bis in die sumat uncias quatuor.

Si hujus usum detraxerit, sæpius ipsi præbeatur serum lactis in
quo epithymus & anagallis flore purpureo sint cocta.

Et frequenter ipsi in potu exhibeatur sal prunelle dragmę pon-
dere, quod peculiarem vim habet maniacum illum spirituum fer-
vorem compe scendi.

Ac postea subinde purgetur dragmis sex vel octo confectionis
hamech, vel extracti hellebori nigri dragmis duabus, quibus ali-
quot grana scammonij sint addita. Et, si hæc propter in gratum
sapore[m] respuat, purgetur subinde justa dosi diacydonii pur-
gantis.

Post purgationes reiteratas hoc linimento tempora ejus illi-
nantur.

R. olei violar. mandragora, succi semper vivi an. drag. iij.

salis prunelle dragm. j. Misce pro linimento, cum linteis ad-
hibendo. & tale

& tale electuarium assumat.

R. conservæ rosar. violarum, borrag. bugloss.

mellissæ an. vnc. s.

cort. citri conditi drag. ij.

spec. diamargariti frigid. diarhod. abbatiss an. drag. s.

confect. alkermes vnc. s.

Syr. de limonibus q. s.

F. Electuarium, de quo dragmæ duæ bisquotidie
cum potu mixtæ, ipsi præbeantur.

XI.

In *Dieta* aër sit temperatus. Cibus sit liquidus, sorbilis, & humectans, ex endivia, hordeo, rapis, carnibus vervecinis. Potus cerevisia tenuis. Somnus sit longior isque omni ratione provocandus. Alvus sit lubrica vel natura vel arte. Amicorum moderata admittatur præsentia: inimici & ignoti excludantur. Et denique vinculis, admonitionibus, blanditiis, objurgationibus, prudenter, pro re nata, erit regendus & compescendus.

COROLLARIA.

1. Sanguinis circulationem nemo antiquorum vel recentiorum ante *Harvæum*, vel implicite, vel explicite, seculo unquam tradidit.
2. Cordis & arteriarum motus est à sanguinis, in ventriculos ejus in systole ingredientis subita & vehementi rarefactione, quæ à cordis calore & sanguinis dilatabilitate originem ducit.
3. Etiam si foramen *Leonardi Botalli*, de quo in libello de *Catharro* meminit, in omnibus hominibus è dextro cordis ventriculo in sinistrum semper pateret, nihilominus, cum illa via transituro sanguini non sufficiat, sanguis è dextro ventriculo cordis per venam arteriosam & arteriam venosam, quæ in pulmonibus inter se sunt continuæ, in sinistrum ventriculum deberet transire.
4. Acetum, quamvis fermentandi in multis vim habeat, attamen ratione corporis nostri est frigidum.
5. Itaque aceti vis incidendi non est ab ejus calore.
6. Medicamentum non est omne illud, quod nos alterare potest.
7. Motus cerebri systoles & diastoles est à partibus in cerebri ventriculis ebullientibus, & defervescentibus.
8. Sanguis per arterias in pleuritide in partem influit.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





M E D I C A T I O
 I V V E N I S
 M A N I A C I :

Q V A M
 Divino adjuvante Numine,

SUB PRAESIDIO

V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I,
 Reip. Ultrajectinae Poliatri, & Medicinae
 ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicae disquisitioni exhibet

J U S T U S à W Y C K Rheno-Trajectinus,
Ad diem 10 Decembris hora 9 matutina.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,
 Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,
 ANNO M. DC. XLV.

Nº. iij.
 aquæ dulcis sæpe utendum, in
 meli incoqui poterunt.
 vel iv. laudani opiat, vel tali

icat. vnc. ij.
 e an. dragm. ij.
 narmoreo, affundendo
 ddo sacchari vnc. ij.
 F. Amigdalatum, quo utatur

